E. Wasmansdorff

Luciani

scripta ea, quae ad Menippum spectant, inter se comparantur et diiudicantur.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

ERICUS WASMANSDORFF
MARCHICUS.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

Lucianum non omnes eos libellos, qui vulgo eius esse putantur, scripsisse viri docti consentiunt. Mirum tamen videri potest, quaenam causa fuerit, cur commentationes suppositae ei sint. Eam enim esse non potuisse, qua factum sit, ut veteribus Graecorum scriptoribus Alexandrinorum potissimum aetate libri subditi sint, nemo non videt. Nam cum Ptolemaei et Attali eorum libros studiosissime colligerent plurimoque emerent, exstiterunt, qui magna illa pecunia allecti ea, quae ipsi conscripserant, pro veris genuinisque eorum libris venditarent [1]). Neque ars critica tum iam adeo exculta fuit, ut fraus statim intellegeretur, et librorum multitudo tanta fuit, ut unumquemque diligentius inspicere non liceret. — Ac tamen probabilis ratio, cur Luciano falso scripta tributa sint, inveniri potest. Satis magnum litterarum campum Luciani ingenii cursus in scribendo amplexus est. Is enim, qui, cum rhetoricen profiteretur, de multis variisque argumentis declamationes confecerat, postea hac arte relicta, cum de rebus gravibus ut e. c. in ‚Hermotimo‘ et in libro, ‚de conscribenda historia‘ egit, tum imprimis satiras, quibus om-

---

1) cf. Galenum (Medicorum graecorum quae exstant ed. Kühn. Lipsiae 1828. V. XV p. 109) in Hippocr. de nat hom. II. prooem.

nes vitae humanae rationes perstrinxit, dialogica forma usus composuit. Itaque cum complura litterarum genera in scribendo attigisset, a grammaticis eisque, qui libris colligendis explicandisque operam navabant, in certum quendam scriptorum ordinem redigi non potuit. Quae res praeter alias in culpa videtur fuisse, quod Lucianus a posterioribus totus fere neglectus est. Quo uberior igitur fecundiorque fuerat, eo facilius fieri potuit, ut commentationes aliis temporibus ab aliisque scriptoribus profectae, dummodo de rebus similibus similiter agerent, aut dicendi genere Lucianeo cognato uterentur, in eius operum numerum referrentur. Velut dialogus ‚Halcyon', qui teste Diogene Laertio (III, 62) Leonis Academici fuit, nunc quidem in codicibus Lucianeus circumfertur, neque tamen eius est[1]). Extremus subditiciorum Luciani librorum dialogus ‚Philopatris' videtur esse, quem iam a Gessnero[2]) spurium iudicatum nuper A. de Gutschmidius[3]) circa a 623 p. Chr. n. confectum esse observavit. Praeter hos dialogos tres Luciani non esse inter viros doctos constat; hi sunt ‚Charidemus', quem libellum spurium esse idem Gessnerus comprobavit, de ‚longaevis', quem librum Rankius[4]) a Phlegonte Tarsensi scriptum esse evicit, ‚Nero', quae commentatio a Kaysero[5]) Philostrato data est.

Longum est omnes, qui Luciani non videntur esse, libros hic recensere; latius enim haec quaestio patet, quam quae paucis absolvi possit. Addam Bekkerum, Dindorfium, Sommerbrodtium[6]) consentire etiam commentationes ionice scriptas ‚de astrologia' et ‚de Syria dea' atque dialogum ‚Demosthenis encomium' Lucianum non confecisse. Postremum libellum Grauertus quoque

1) C. Fr. Hermann: Charakteristik Lucians von Samosata in: Gesammelte Abhandlungen etc. — S. 203.

2) ed. Bipontina 1789—1793. V. IX p. 562 s.

3) Literarisches Centralblatt 1868. S, 641, 642.

4) Lucian u. Pollux. Quedlinburg 1831 S. 16—22.

5) ed. Philostratio rit. sophist. p. XXXIII.

6) Ausgewählte Schriften des Lucian. 1872 I praef. p. XIX.

multis argumentis alius scriptoris esse demonstravit[1]). Quodsi eos libros, de quorum genuinitate a viris doctis suspiciones motae sunt, perlustraverimus, aliquam saltem eorum partem ita comparatam esse iudicabimus, ut vix sperari possit, unquam, sintne Luciani necne, ad liquidum perduci posse. Nonnulli tamen inuria addubitati videntur, quem in numerum cum alios, tum maxime eos, de quibus agere mihi proposui, refero; hi sunt ‚dialogi mortuorum', ‚Necyomantia' ‚Icaromenippus'.

Primum ut cognoscamus, quid de hisce scriptis et prioribus temporibus iudicatum sit, et his iudicetur, eas de illis virorum doctorum sententias, quas quidem compertas habeo, allaturus sum.

Necyomantia iam veteribus criticis suspicionem movit. Primus autem Solanus[2]) dubitat, an a Luciano confecta sit. Verba eius sunt: ‚de hoc opusculo addubito. Certe si genuinum sit, a iuniore Luciano scriptum esse multa arguunt, critico illo naso non satis digna . . . ab aliquo scriptum puto, qui Lucianum legerat'. Tum annotatione ad verba Menippi (§ 14) *καὶ τὸν Φρύγα Τάνταλον χαλιπῶς ἔχοντα*, ubi Fritzschius in editione Luciani *χαλέπ' ἄλγεα ἔχοντα* (cf. Od. XI, 582) recte restituit, ‚quam frigida, inquit, haec sunt et Luciano indigna! plura sunt in hoc opusculo eiusdem farinae, quae maturum iudicium minime sapiunt'. Idem est iudicium Friderici Jacobsii[3]). Iam ante eum Wielandius, qui, ut ait Fr. Fritzschius (quaestiones Lucianeae p. 209) ‚unus omnium optime Luciani ingenium norat', disputatione Lucianeae versioni Germanicae addita[4]), multis argumentis exposuerat, hunc dialogum ex eius operibus quasi centonem compositum consutumque esse. Hanc sententiam etiam Lehmannus[5])

---

1) Historische und philologische Analeiten. Münster 1833 p. 289.

2) ed. Biportina III p. 392.

3) Appendix ad Rich. Porsoni adversaria p. 288.

4) Lucium übersetzt Bd. 3 S. 357—360.

5) ed. Luciani Lipsiae 1828 V. III p. 372, 373.

amplexus est et vestigia ‚ineptae cuiusdam et putidae imitationis hic illic apparere' affirmarit. Neque tamen, quae illi contra Lucianum scriptorem huius dialogi in medium protulerant, talia fuerunt, ut omnes eis assentirentur. Immo multi genuinam hanc satiram esse censent. Quo ex numero sunt: Hemsterhusius (ed. Bip. III p. 355), Fr. Fritzschius (l. c. p, IX), Prellerus (encyclop. Paulyana s. v. Luc), Mehlerus (Mnemosyne III p. 6), Bekkerus, Dindorfius, Sommerbrodtius (l. c. p. XIX).

Icaromenippum, quod sciam, solus Fridericus Jacobsius (l. c. p. 297) Luciani esse negavit. Quibus tamen rationibus ductus id iudicium tulerit, valde dolendum est, quod omnino non exposuit.

Idem etiam e mortuorum dialogis hosce quattuor: 20, 26, 27, 28 huius scriptoris non esse dixit (l. c. p. 288).

Priusquam vero de his scriptis ipsis agam, necessarium videtur inquirere, quisnam Menippus ille, ad quem partes primariae delatae sunt, fuerit, quidque de vita scriptisque eius memoriae proditum sit. Inde enim simul id proficimus, ut, quae ratio inter eum Lucianumque intercesserit, percipiamus.

Tenuis de Menippo memoria ad nostram aetatem manavit. De aetate eius testimonium apud Diogenem Laertium (VI, 99) exstat, qui Meleagrum aequalem ei fuisse dicit (*τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου*). Is vero, qui philosophus cynicus fuit et primus epigrammatum coronam collegit, dubium esse non potest, quin circa ol. 170 vixerit[1]. Unde exorsus Oehlerus[2], cum Meleager duobus epigrammatis se Menippi Musas aemulatum esse dicat, hunc paulo natu maiorem fuisse et circa ol. 160 floruisse exposuit. Sed haec ratio labitur, Diogenes enim Laertius sibi non constat, cum Hermippi Smyrnaei, qui circa ol, 146 floruit, de Menippo testimonium afferat (VI, 99). Quod quidem de aetate testimonium. propius a vero abesse M. Valerius Pro-

1) Fr. Jacobsius. proleg. ad. tom. VI Anthol. Gr. p. 39, 40.

2) M. Terentii Varronis reliquiae. Quedlinburg 1844 p. 41,

bus[1]) docet, qui Menippi aetatem M. Terentii Varronis aetat longe praecessisse testatur. Itaque aliquanto ante ol. 160 floruisse eum statuendum nobis est.

Fuit philosophus cynicus Gadarenus[2]). Diogenes quidem Laertius Phoenicem eum fuisse refert (VI, 99), sed Syria et Phoenice saepius inter se confunduntur. Idem alio loco (VI, 95) Sinopensem eum appellat, qui error inde natus videtur, quod, ut suo iure statui potest, Menippus, cum Batonis cuiusdam Pontici servus esset (Diog. L. VI, 99), una cum domino Sinopae in urbe per aliquod tempus commoratus est.

Iam de scriptis breviter disseramus. Diogenes Laertius, qui vitam eius conscripsit, tredecim libros eum confecisse memoriae prodidit, e quibus nonnullos nominavit; sunt, si duos titulos ab Athenaeo servatos addimus, hi:

Ἀρκεσίλαος. Athen. XIV p. 664 e. c. 85.
Συμπόσιον. id XIV p. 629 e. c. 27.
Διαθῆκαι. Diag. L. VI, 101.
Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου. ibidem.
Νεκυΐα. ibidem.

Postremo loco Diagenes Laertius affert ‚πρὸς τοὺς Φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας'. Ac sane ambigi potest, quot libri his verbis contineantur. Oehlerum vero, qui unum librum hac inscriptione significari vult, errare planum est (l. c. p. 29 adn. 72). Primum enim verbis (πρὸς) γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας, si non duos, singularem tamen librum significari patet. Ipsa autem haec verba recte tradita esse non videntur. Nam quamquam statim unusquisque videt, verbis ‚ὑπ' αὐτῶν' Epicureos intellegendos esse, non tamen habent, quo referantur. Verisimile est verbis ‚γονὰς Ἐπικούρου' ad Διὸς sive Ἀθηνᾶς γονὰς allusum esse cultumque

1) in Verg. ecl. VI p. 14 ed. Keil. Halis 1848.
2) Strabo XVI. p. 759 ad. Meineke. Stephanus B. s. v. Γαδάρα.

quo philosophum illum sectatores prosequerentur, a Menippo lepide traductum esse [1]). Restant verba ‚πρὸς τοὺς Φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικούς‘. Ne haec quidem unius libri inscriptio fuerunt. Quamvis enim certa argumenta desint, unde, duone an tres hi fuerint, diiudicari possit, id tamen pro explorato habeo ‚πρὸς τοὺς Φυσικούς‘ libri singularis inscriptionem fuisse. Sed de hoc infra dicendum erit. — Oehlerus librum ‚Διογένους πρᾶσιν‘, ex quo fragmentum Diogenes Laertius in vita Diogenis Sinopensis (VI, 29, 30) servavit, etsi dubitanter, Menippi tamen fuisse statuit (l. c. p. 29). Verum cum codices Sambuci et Ambrosii pro Menippi nomine Hermippum exhibeant, huic liber illi tribuendus est [2]).

Duae potissimum res considerandae sunt, qualia Menippi scripta fuerint, et qua orationis forma usus sit. — In universum a veteribus genus dicendi σπουδογέλοιον ei tribuitur a Strabone, Stephano Byzantio (ll. cc.) a Diogene Laertio, qui haec de eo habet (VI, 99) ‚φέρει μὲν οὐδὲν σπουδαῖον· τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πόλλοῦ καταγέλωτος γέμει καί τι ἴσον τοῦ Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου.

Quod iudicium verbis ab Athenaeo [3]) ex ‚convivio‘ servatis confirmatur. Is enim haec habet ‚καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ συμποσίῳ. Vix dubium esse potest, quin hac generis cuiusdam saltationis mira appellatione Menippus Stoicorum de mundi exustione dogma festive traducere voluerit [4]). Ne unius quidem libri res primaria, quae fuerit, aut ratio, quam in argumento inveniendo, disponendo, enarrando persecutus sit, e fragmentis perspici potest. Contigit tamen, ut aliunde de scriptorum eius indole paulo plura sciamus. Notum enim est, Terentium Var-

---

1) Th. Fritzsche. Menipp. und Horaz. Güstron 1871 p. 12.
2) G. Hübner. ed. Diog. L, Lipsiae 1828 II p. 21.
3) XIV p. 629 e. c. 27.
4) Oehler. l. c p. 29 adn. 28.

ronem, de quo fusius hic disserere longum est, satiras suas Menippeas appellasse[1]); qua quidem significatione quid aliud indicare voluisse putandus est, quam similia argumenta eaque similiter a se tractata esse? Ut exemplum afferam, satira, quae, testamentum inscribitur, Menippi ,διαθήκας' imitatus est; mirum autem hominum morem, quo testamenta condebant, uterque videtur irrisisse.

Etiam melius e Luciani testimonio, qualia Menippi scripta fuerint, colligi potest. Is enim bis imprimis copiosius de eo loquitur. (Piscat. § 26 bis accus. § 33). Utroque loco opprobrio sibi versum esse fingit, quod Menippum ,τινὰ τῶν παλαιῶν κυνῶν μάλα ὑλακτικὸν ὡς δοκεῖ καὶ κάρχαρον' dialogis inseruerit.

Lucianum non ideo vituperari posse, quod Menippum disputantem et loquentem in libris induxerit, vix est, quod moneam. Id enim et de paucis dialogis et aeque ac de Menippo de Diogene aliisque dici potuit. Sed genus illud dicendi σπουδογέλοιον Menippi nomine intellegendum est, quod Lucianus ab illo recepisse et sui quasi iuris fecisse arguitur. Componitur enim cynicus cum Eupolide et Aristophane; a quibus ut sales facetiasque, ita ab illo dicacitatem se sumpsisse Lucianus declarat. Simili igitur modo, quo Lucianus, Menippus id potissimum in scribendo spectavit, ut hominum vitia placitaque philosophorum cavillaretur. — Omnibus his de Menippo testimoniis comparatis dubitari nequit, quin libri eius satirae fuerint; de quibus facile intellegi possunt, quae Suidas s. v. Μένοππος et Eudocia (violarium ed Villoison. Venetiis 1781 p. 302) habent: ,Μένιππος' κωμικός τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες (Eudocia addit: Ὄφεις) καὶ ἄλλα. Nam ,ut latissime patet usus et significatio verborum κωμῳδία et κωμῳδεῖν, quae passim de quovis ludibrii genere usurpantur'[1]), ita etiam verbum δρᾶμα latiore vi

---

1) A. Gellius. Noct. Att. II, 18.

2) Meineke. historia critica comicorum Graecorum Berolini 1839. p. 527— Th. Fritzschius errat, cum l. c. p. 14 Meinekium (l. c. p. 494) exemplis de-

usurpatum videtur. Idem vero Menippus inventor satirae Graecae fuit. Etenim neque Bionem Borysthenitem, neque Timonem Phliasium, quamvis lepide ac lascive de rebus gravibus egissent, iustas satiras sripsisse bene Fr. Fritzschius docuit [1]).

Ac tamen e Timonis libris Menippus multum profecit; inde enim subtilem philosophorum reprehensionem, acumen dialecticum lasciviam vere comicam repetiit; itemque probabile est, illius, cuius librum secundum et tertium sillorum dialogum habuisse Diogenes Laërtius testis est [2]), exemplum secutum dialogica forma eum usum esse. Quam omnino ab eo usurpatam esse, vel inde sequitur, quod ‚convivium' scripsit. Quicunque enim veterum, ‚convivia' confecerunt, eam fere rationem inierunt, ut homines plures de re quapiam confabulantes inducerent. At Lucianum ‚Menippi libros dialogum habuisse' satis testari, quomodo Fr. Fritzschius [3]) e ‚bis accussato' (§. 33) elicere voluerit, me quidem non videre profiteor. In contrarium enim affirmaverim, Lucianum, et ubi a Dialogo accusatur, et ubi ipse causam agit, ita disputare, ut se primum sales Aristophanicos et formam Socraticam consociasse diserte dicat. Habuit vero, cur ita loqueretur. Lepidam enim illam bellamque fictionem libello tractatam funditus paene sustulisset multumque di vi accusationis a Dialogo intentae detraxisset, si a Menippo iam formam dialogi in satiris adhibitam esse concessisset. Atque eo maiore iure rem ita describere potuit, quo minus dubium videtur, quin Menippus interdum tantum dialogo usus sit, ipse autem hanc ora-

---

monstrare dicat, vocabulo ‚δρᾶμα' non semper comoedias significari. Ibi enim Meinekius verba Suidae propter Cercopas ad Hermippum, antiquae comoediae poëtam, rettulit; a qua sententia postea (Vindic. Strabon. ed. Berolini 1852 p. 234. 235) recessit et dramatum verbo satiras Menippi significari cencessit. ‚Quod autem comicus dicitur Menippus saturarum scriptor, in eo non est, quod quis haereat.

1) ed. Luc. II. 2. XXXVI. s.

2) IX. 111. τὸ δὲ δεύτερον (τῶν Σίλλων) καὶ τρίτον ἐν διαλόγου σχήματι.

3) l. c. p. XXXVI.

tionis formam, quam satiris induit, excoluerit. Quare ad hanc quaestionem decernendam Luciani verba in neutram partem afferri possunt. Similiter etiam in ‚Prometheo‘ (§. 6) se primum dialogum et comoediam coniunxisse affirmavit; sed ibi quoque multum eius interfuit, ne etiam ea, quae a Menippo deprompsisset, defendenda sibi essent.

Neque vero solum illud dicendi genus a Menippo Lucianus sumpsit, sed etiam argumenta eadem, atque ille, nonnullis libris tractavit. Primum quidem in ‚Hermotimo‘ ab hoc cynico eum totum pendere a Fr. Fritzschio[1]) demonstratum est. Ex eo enim et tanta Luciani scepticae philosophiae scientia elucet, quanta eum fuisse instructum aliis locis certo ostendi nequit, et multa inveniuntur, quae verbotenus fere cum Sexto Empirico conveniunt. Quare cum ipsos inter se nequaquam cohaerere posse temporum ratione constet, ex communi ambos fonte hausisse oportet. Sexti vero fontem Timonis sillos fuisse, quibus teste Diogene Laertio[2]) in omnes inveheretur et dogmaticos perstringeret, idem Fr. Fritzschius mihi persuasit. Sane quidem fieri potuit, ut etiam Lucianus inde argumentum depromeret; probabilius vero est, eum non ipsos Timonis sillos inspexisse, sed Menippum secutum esse. Quem de hoc argumento egisse, inde apparet, quod Varro satiram ‚περὶ αἱρέσεων‘ scripsit[3]). In qua cum philosophorum sectas descripserit, necesse est eum, quippe qui ingenio ad philosophandum apto praeditus non fuerit[4]), ex alius cuiusdam libro in eodem argumento versato ea, quae de philosophis dicta sint, sumpsisse. Nullus autem alius fuisse potest, nisi Menippus, quem in satiris imitatione a se expressum esse ipse apud Ciceronem fatetur[5]). — Ac facile si scriptorum Menippi

1) l. c. II, 2. p. XVIII sqq.

2) Diog. L. IX, 111.

3) Oehler. l. c. p. 188. fr. 67.

4) Mommsen. Röm. Gesch. III p. 587. 588.

5) Cicero Acad. I c. 2 §. 8 et tamen in illis veteribus nostris, quae Minippum imitati non interpretati quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice.

titulos perlustraverimus, eum inveniemus, cui aliqua probabilitate tale argumentum vindicari possit. Vix enim de alio cogitari potest, quam quem singularem librum esse Fr. Fritzschius perspexit, dico, qui inscribitur ‚πρὸς τοὺς Φυσικούς‘. Saepius autem eum de eodem argumento egisse cum credendum non sit, sequitur, ut hic liber fons satirae Varronis, idemque Luciani ‚Hermotimi‘ sit. Haec fere summa est subtilis Fritzschii argumentationis. —

Minus certis argumentis exponi potest, Lucianum etiam alibi Menippum aemulatum esse. Ex similitudine enim inscriptionum, quae inter Menippeos et Lucianeos libros nonnullos intercederet, fuerunt, qui apparere putarent, Lucianum eius satiras respexisse. Quae conclusio cum per se nihil certi habeat, inde tamen probabilior fit, quod et ‚Hermotimi‘ exemplo constat Lucianum eius libros novisse eisque usum esse, et quod omnes ei libri, non multo post ‚Hermotimum‘ confectum scripti sunt, ut infra pluribus demonstrabo. Hi sunt ‚συμπόσιον‘, quod uterque scripsit, ‚ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου‘, quas in ‚epistolis Saturnalibus‘ Menippus videtur respexisse, ‚νεκυΐα‘, quae ‚Necyomantiae‘ fortasse imago ἀρχέτυπος fuit.

Fragmenta ex his scriptis, si illud, quod iam ex convivio attuli, exceperis, nulla exstant. Oehlerum autem miror verba a Suida s. v. Φαιός Menippo data temere ad huius Necyiam referenda esse censuisse[1]). Prorsus enim eadem Diogenes Laertius (VI, 102) de Menedomo cynico refert. Quare iam Aegidius Menagius[2]) Suidam memoriae lapsu ad, Menippum ea transtulisse existimavit. Nam ne apud Suidam pro Menippo Menedemum legamus, obstat, quod ille s. v. Μένιππος ad haec verba relegat[3]).

---

1) l. c. p. 29. adn.

2) Diog. Laert. ed.-ad h. l.

3) Μένιππος ὁ κυνικός· ἔστιν ἐν τῷ Φαιός

Tertium et aliquanto certius, quam de quo modo egi, argumentum superest, quo Lucianum Menippi libros novissè, lectitase, nonnulla inde decerpsisse efficiatur. Saepius enim cum Horatiò ita consentit, ut aut Lucianum poëtae Romani satiras legisse, aut utrumque ex communi fonte hausisse necesse sit. Cuius rei haud scio an luculentius exemplum afferri non possit, quam de quo, cum iam a Fr. Fritzschio observatum esset[1]) nuper Th. Fritzschius pluribus disseruit[2]). Sunt verba Lucianei Icaromenippi (§. 25) ,τὰς δὲ ἀνοσίους (sc. τῶν εὐχῶν) ἀπράκτους αὖθις ἀπέπεμψεν ἀποφυσῶν κάτω, ἵνα μηδὲ πλησίον γένοιντο τοῦ οὐρανοῦ et Horatii (I serm. I, 20):

,Quid causae est, merito quin illis Juppiter ambas
Iratas buccas inflet, neque se fore posthac
tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem'.

Prius autem illud, quae Wielandii[3]) sententia fuit, ne statuamus, Luciani ipsius testimonio vetamur, qui linguam latinam parum se intellegere dicit[4]).

Relinquitur igitur illud alterum solum. Sed quisnam fons communis horum scriptorum fuisse putandus est? Qua de re a Theod. Fritzschio[5]) ita edocti sumus, ut non iam haerere possimus. Menippi enim satirae fuerunt.

Quae cum ita sese habeant, Lucianum primum ex Menippi scriptis argumentum, quod adumbraret, repetiit, postea singulas tantum res, imagines, sententias inde deprompsit satirisque inseruit; itaque quamquam similem atque ille rationem semper persecutus est, priores tamen illae satirae solae ex cynici imitatione profectae dici possunt.

Quoniam de imitatione Luciani Menippea disputavimus, iam

---

1) l. c. II, 2 p. 151.
2) l. c. p. 27. 28.
3) l. c. I p 75. II p. 22.
4) pro. lapsu inter sal. §. 13. —
5) l. c. p. 21 sqq.

faciendum notis esse putamus, ut exponamus, quando hi, de quibus agimus, dialogi a Luciano scripti esse videantur. Quae quidem quaestio inde non exiguas difficultates movet, quod, cum nulla omnino apud alios scriptores, quae huc faciant, testimonia inveniantur, solos Luciani libellos habemus, unde indicia de tempore quo singulos scripserit, eruenda nobis sint. Ac tamen eo maioris momenti est in hanc rem inquirere, quia neque consilium neque scribendi genus idem semper secutus est, sed complures in scribendo aetates percurrit. De quibus nisi prius egerimus et, qua fieri potest, probabilitate arctioribus finibus unamquamque circumscripserimus, vix fieri poterit, ut de singulis scriptis recte iudicemus.

Lucianus ipse declarat (Bis. acc. § 32) usque ad annum quadragesimum rhetoricen se amplexum esse atque tum, hac relicta, philosophis operam dedisse et dialogicam formam in scribendo adhibuisse. Quae verba non ita intellegenda esse, quasi Lucianus ante hunc annum dialogos omnino se scripsisse neget, nemo non videt. Nam et per se consentaneum est, eum iam antea, cum rhetor esset, interdum hac forma orationis usum esse, et nonnulli dialogi, velut ‚Anacharsis', ‚Toxaris' aliique ita rhetoricen et asiaticum orationis colorem prae se ferunt, ut dubium esse non possit, quin ex illa, ubi eam artem exercuit, aetate profectae sint[1]); accedit, quod ab ironia alieni sunt. Itaque comicum dialogum illis verbis significari patet.

Cum hac ratione bene altera illa convenit. ‚Hermotimum' dialogum Lucianus circiter quadraginta annos natus composuit. (Herm. §. 13). Ibi enim argumentis e scepticorum dialectica sumpta quid verum esset, unquam a philosophis investigatum esse, aut fieri omnino posse, ut investigaretur, negavit. Quare inde ab hoc tempore, quo exploratiorem hanc sententiam habuit, eo infestius et acerbius in eos omnes, qui quid verum rectumque esset, invenisse et scire sibi visi sunt, scriptis invectus est

1) C. Er. Hermann l. c. p. 211.

omniumque philosophorum familiarum inimicus exstitit. Ab his satiricis scriptis nullo negotio Luciani senis libelli discerni pospossunt, quibus praeter alia scripta annumerandae sunt declamationes de ,electro', ,Baccho', ,Hercule' conscriptae, quibus saepius provecta se aetate esse dicit [1]), et duae illae commentationes, quas, cum iam Alexandriae hypomnematographi [2]) munere fungeretur, confecit ,de lapsu inter salutandum' et ,Apologia pro mercede conductis'.

Atque hoc modo Prellerus [3]) tres aetates distinxit, quarum prima libellos rhetorice scriptos, altera eos, quibus atticum dicendi genus aemulatus est, tertia senis Luciani libros complectitur. Melius tamen ipsa secunda aetas in duas seiungitur, ut a Sommerbrodtio, qui quattuor aetates statuit, factum est. Qua in re quamquam in universum cum hoc viro facio, interdum tamen de tempore, cui singulae disputationes ascribendae sint, ab eius sententia recedo. Ut unum moneam, non dubito, quin ,Rhetorum praeceptor' Pollucem potissimum petat ideoque imperante Commodo, a quo rhetorices Athenis docendae munus ei mandatum est, confectus sit [5])

Secundae vero et tertiae aetatis libros, qui maxime ob dialogos ad Menippum spectantes respiciendi sunt, consilio, quod Lucianus persecutus sit, differre puto. Illis enim fabulas a poëtis et Homero potissimum de deis celebratis et hominum stultitias ineptiasque lepide ac venuste cavillatus est, his vero — id quid e veterum saltem sententia longe aliud est — deos ipsos esse negavit, ut e. c. in ,Jove confutato', vitiaque humana ita perstrinxit, ut non in universum ea exagitaret,. sed unum ali-

1) Bach. § 6. Herc. § 7.

2) Fr. Fritzschius Luc. ed. ad Apol. pro merc. cond.

3) Encyclop. Pautzana s. v. Lucian.

4) l. c. p. XX.

5) C. Fr. Hermann. l. c. p. 209. adn. Allg. Schulzeitung 1832. II p. 43—46.

quem sibi eligeret, in quem, cum aetatis vitiorum hoc illove magnopere correptus esset, quam infestissime inveheretur, veluti ‚Asino‘ in Lucium Patrensem [1]), in Alexandrum, Peregrinum Proteum eis libris, qui horum nominibus insigniti sunt. Videmus igitur Lucianum a lepida et festiva cavilatione paulatim eo transire, ut hominum studia inania, libidines, superstitiones summa ira et acerbitate irrideat [2]).

Quam temporum definiendorum statui esse rationem, recte eam in universum sese habere vel inde manifestum est, quod, si quae alia, quibus tempus alicuius scripti cognoscatur, indicia inveniuntur, cum ea congruunt. Satis habeo commemorare ‚navigium‘ qui dialogus indole naturaque in priorum Luciani satirarum numero esse arguitur, anno 161 aut sub finem anni 160 confectum esse certo ostendi posse.

Quae enim ibi de Samippo, qui Parthis bellum ultro infert, dicuntur (§ 33), cum bello Parthico inde ab anno 162 usque ad annum 165 gesto cohaerent eademque ita comparata sunt, ut bellum nondum exortum esse intellegas [3]).

Verum cum argumenta e solo librorum consitio rationeque sumpta satis semper lubrica sint, iam, ubi de libris Luciani Menippeis acturi sumus, etiam alia temporis indicia circumspicienda nobis sunt.

Supra docuimus Lucianum in ‚Hermotimo‘ dialogo totum ex Menippi libro, qui ‚πρὸς τοὺς Φυσικούς‘ inscribitur‘ pendere ac praeterea verisimile esse etiam in ‚Convivio‘ et ‚epistolis Saturnalibus‘ eum illius satiras respexisse. Quodcum hisce duobus dialogis ineptiae hominum cum ironia et salsa venustate exagitentur nihilque in eis insit, unde posterius tempus evincatur vix errabimus, si non multo post ‚Hermotimum‘ conceptum eos scriptos esse affirmaverimus. Lucianus enim, se omnino aliis scri-

1) Erwin Rhode: ‚Über Lucians Schrift Lucius oder der Esel‘. Leipzig 1869 p. 1 et 72 cf. Luc. Pseud. § 4.

2) C. Fr. Hermann. l. c. p. 212.

3) Fr. Fritsche. Luc. ed. II. 2 ad Navig. § 33.

ptis eum imitatus est, nonne putandus est eis, quae ‚Hermotimum' tempore exceperunt, aemulatus esse? Unde proficimus, ut unam aetatem, qua ab hoc cynico suspensus fuerit, fuisse statuamus eamque qua primus satiricus exstiterit. Hoc autem tempore etiam Necyomantia, si quidem genuina est, scripta sit oportet; ex Menippi enim imitatione partim ea, quibus viri docti offensi sunt, explicanda esse infra fusius oxponere conabor. — Accedit externum indicium. In § 10 bellum esse refertur; quod bellum Parthicum esse iam Solanus[1]) et Fr. Fritschius monuerunt. Itaque ‚Necyomantia' circa annum 164 scripta est.

Quaeritur, quando ‚dialogi mortuorum' concepti sint imprimisque utrum ante an post ‚Necyomantiam' compositam. Inter eos et ‚dialogos superorum et marinorum' magna et argumenti et scribendi rationis similitudo intercedit; quare eodem fere tempore hos omnes compositos esse suspicari licet. Eidem vero Lucianum et scite feliciterque fabulas ad consilium suum idoneas elegisse et salse lepideque opiniones pravas de deis conceptas risisse ostendunt. Nusquam autem ita loquitur, ut deos non esse asseveret. Contra quae non vereor, ne quis, quae dialogis mortuorum 3 et 16 narrata sunt, afferat. Nam ibi quoque fabulae tantum perversae ludibrio habentur, quibus Trophonius oracula Lebadeae edere idemque in orco esse, et umbra sola Herculis apud inferos, ipse vero in coelo morari perhibentur. — Omnes igitur hi dialogi ita comparati sunt, ut vita deorum tota ad humanae consuetudinem accommodata sit. Quamobrem in priorem, qua satiras Lucianus scripsit, aetatem eos referre coacti sumus; neque ulla, quibus haec sententia refutetur, indicia externa reperiuntur. — Dubium illud solum est, an iam tum, cum Menippum imitatus est, profecti sint. Equidem crediderim post hoc tempus Lucianum eos scripsisse. Quod si verum est, pax illa IV, 2 commemorata[2]) de bello Parthico finito intellegenda

1) ed. Bipont. III. ad. h. l.

2) dial. mort. IV, 2.

est; atque haec ratio probabilior videtur, quam ad bellum nondum motum pacem illam referre; quam si probavissemus, hi dialogi eodem tempore, quo ‚Hermotimus‘ anno 160 compositi satirarumque Luciani primitiae essent; id quod statuendum non videtur. Nam verisimile est, ut infra apparebit, etiam ‚Cataplum dialogum ante eos scriptum esse.

Certioribus indiciis nobis uti licet, si quo anno ‚Icaromenippus‘ editus sit, investigamus. Sub finem enim huius dialogi inveniuntur, unde Fr. Fritzschius hieme a anni 180 eum scriptum esse subtiliter evicit. Eteuim, ut complectar, quae vir ille doctissimus deque Luciano meritissimus disputavit[1]), praesentissimum interitum prope ad internecionem omnibus philosophis impendere Lucianus professus est; id quod neque vivo Marco, neque multo post eius mortem scribi ullo modo potuit. Is enim imperator binis quattuor sectarum philosophis ingens annuum stipendium publice solvi iussit. — Quodsi paulo post eius mortem hunc dialogum scriptum esse statuimus, etiam verbis, quae sunt § 33 ‚*ἱερομηνία γάρ ἐστιν, ὡς ἴστε, μηνῶν τούτων τεττάρων, καὶ ἤδη ἐκεχειρίαν περιηγγειλάμην*‘ lux affertur; significantur enim iustitium post Marci obitum edictum et supplicatio, quae bello Marcomannico a Commodo turpiter finito illud deinceps excepit. — Qua argumentandi ratione probata quis est, quin intellegat, verbis ‚*ἄπειμι τοίνυν καὶ τοῖς ἐν τῇ Ποικίλῃ περιπατοῦσι τῶν φιλοσόφων αὐτὰ ταῦτα εὐαγγελιούμενος*‘ (§ 34) contineatur, multo acerbiorem fieri, cum Stoici, quippe quorum sectam M. Aurelius imperator professus sit, in maximum periculum discrimenque venturi esse dicantur.

Iam eo progressi sumus ut haec scripta inter se comparare possimus. Qua in re eam rationem persequi volumus, ut primum, quales Menippi mores a Luciano depicti sint, videamus, deinde de rebus, quas his libellis tractavit, verba faciamus, tum ex ea re, quod Lucianus sententiis, imaginibus, dicendi formulis

1) Luc. ed. II, 1 p. 15.0

in ‚Necyomantia' eisdem, quibus in aliis scriptis usus sit, ab alio scriptore profectam eam esse nequaquam concludi posse ostendamus.

De Menippi igitur moribus ut loquamur, ‚dialogos mortuorum' a ‚Necyomantia' et ‚Icaromenippo' seiungendos esse putamus. Ibi enim Menippus ita describitur, ut, quaecunque ei tribuuntur, in omnes philosophos cynicos cadant neque quidquam de eo dicatur, quod privum propriumque eius sit; in his vero aliter res sese habet, cum Lucianus nonnulla intermiscuerit, quae non de Menippi, sed de ipsius moribus intellegenda sunt.

Quod priore loco posuimus, ita exponemus, ut, quae de Menippo referantur, omnia cum eis, quae de Diogene et Cynisco dicta sint, convenire demonstremus.

In primo dialogo Menippus a Diogene Polluci hisce verbis describitur (I, 2) ‚γέρων, φαλακρός, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον.

Corinthi in Craneo, ubi Diogenes Sinopensis versari solebat, [1]) aut Athenis in Lyceo vitam eum degere ibidem Diogenes dicit. [2]) Vestimenta eius fuerunt pera plerumque fabis referta et baculum et pallium [3])

Eisdem vero vestibus induti etiam Diogenes[4]) et Cyniscus[5]) inducuntur. Sed has, si quis verus philosophus cynicus haberi voluit, facere non potuit, quin inducret. Itaque etiam in ‚fugitivis' [6]) pallio, pera, baculo, ut iam incessu habituque cognoscerentur, indutos eos esse philosophia dixit; ibi enim imprimis philosophos cynicos intellegendos esse ex § 16 apparet. Quamquam non nego consuetudinem baculi gestandi iam ita tum in-

1) Diog. L. VI, 77.
2) dial. mort. I, 1.
3) dial. mort. I, 1. X, 2 XX, 1, 3.
4) Vit. Auct. § 7. § 8.
5) Catapt. § 4.
6) Fugit. § 14.

valuisse, ut alii quoque philosophi eo uterentur, id quod e ‚parasiti‘ § 55 patet, ubi plerique philosophi bacula gestare perhibentur. Ac tamen imprimis fuit cynicorum, qui ad Diagenem Sinopensem hunc morem referebant [1]).

Eodem modo a Luciano etiam in morum descriptione ea eis tribuenda erant, quae cum eorum indole congruebant ab omnibusque propria eorum esse putabantur. Quid vero fuit, nisi irridere philosophos et cum libertate hominum vitia detegere? Quare in primo dialogo, ubi imago Menippi adumbratur, apte, unde cognosci possit, ‚τὸ τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελᾶν‘ (I, 1) significatur. Quam personam ubique ita fere tuetur, ut non modo in hos, sed in omnes omnium ordinum homines acerbissime invehatur; velut Croesum sociosque, qui de bonis in vita relictis querebantur, ridet (II), velut philosophi cuiusdam vitia nefasta et occulta Mercurio aperit (X, 11), velut Pythagoram (XX, 3), Empedoclem (XX, 4), Socratem (XX, 6) ludibrio habet; tum saepius eos quaestionibus vexat, de quibus fabulae ineptae valebant, Tantalum (XVII), Chironem (XXVI), Tiresiam (XXVIII). — Maxime in orco nulla omnino discrimina, sed omnes omnibus similes esse ac pares [2]) asseverat et ab omnibus post mortem totius vitae rationem reddendam [3]). Qua vero libertate Menippus, dum vivit, fuit, ea in orco quoque cum alias, tum ibi, ubi cum deis ipsis confabulatur, utitur; Plutonem enim desipere non dubitat eloqui [4]). Unum commemorandum est, unde maxime a reliquis hominibus discrepet. Ii enim si e vita discedendum est, gravissime dolent bona relinquenda esse lamentationibusque Mercurio et Charonti, dum traiciuntur, obstrepunt; ille contra libenti animo mortuum se esse dicit [5]) at-

1) Diog. L. VI, 22, 23.
2) dial. mort. XVIII, 1.
3) dial. mort. X, 13.
4) dial. mort. II, 1.
5) dial. mort. X, 11.

hue ipse illos adiuvat, si quis mortuorum difficilior est et eorum imperiis minus obtemperat[1]). Quare laudibus a Mercurio effertur[2]) et aliquo numero apud inferos est, ita quidem ut ipse Mercurius (XVIII) et Aeacus (XX) eum per orcum circumagant eique, quoscunque vult, monstrent. —

Prorsus autem easdem virtutes Diogeni et Cynisco vindicantur, Diogenes philosophos (I, 2) obiurgat, divites irridet (I, 3), eos, qui hereditates captare studebant, vituperat (XI, 1, 4) Alexandro, quod deum se haberi voluerit, opprobrio vertit (XIII), omnes denique risu et contumelia prosequitur[3]). — Atque si id spectare dicitur, ut hominos a pravis studiis opinionibusque revocet eorumque medicus exsistat, ne Menippus quidem in eludendis hominibus acquiescit, sed eos tales reddere vult, quales rebus praesentibus uti sciant neque quidquam, quod acciderit, tolerandum esse negent[4]) Ita fit, ut Menippus et Diogenes permutentur. Quas enim partes in dialogo mortuorum II Menippus agit, eas Nec. § 18 Diogenem agere legimus.

Comparare iuvat Cyniscum, qui in dialogo, qui ‚Cataphus‘ inscribitur, primarum partium est. Ut, quae de eo referuntur, breviter attingamus, Megapenthem tyrannum, clam in vitam redire conatum, sua sponte una cum Mercurio persequitur[6]) reductusque ne iterum effugiat, curat[7]); solus, Micyllo sutore excepto, a clamoribus se abstinet; postquam autem ad Rhadamanthum ventum est, tyrannum scelerum accusat,[8]) insolitaeque poenae, qua afficitur, auctor est[9]). Sed haec fortasse leviora, gravius tamen illud. Cyniscus enim et Menippus inter se con-

1) dial. mort. X, 9.
2) dial. mort. X, 13.
3) Vit. auct. § 10.
4) Vit. auct. § 8.
5) dial. mort. XXVI, 2.
6) Cat. § 4.
7) Cat. § 7.
8) Cat. § 23. 26. 27.
9) Cat. § 28.

funduntur. Nam in eodem argumento cum ‚Cataplus‘ et sermo Xmus ‚dialogorum mortuorum‘ versentur, in hoc Menippus, in illo Cyniscus is inducitur, qui mortuos una cum ipso traductos ludificetur imaginemque utraque satira adumbratam hilaritate quadam et venustate perfundat.

Quidnam vero causae fuit, cur Lucianus mores cynicorum quam sibi simillimos depingeret eandemque personam modo hunc modo illum sustinentem faceret? Sine dubio nihil aliud, quam quod personae quasi constantes, stabiles, fixae hi cynici fuerunt, quorum id potissimum esse credebatur, ut odio risuque aequalium perversitates increparent.

Nimirum haec de Menippi moribus opinio traditione confirmata sancitaque Luciano, quotiescunque loquentem eum induxit, respicienda fuit; idque etiam in ‚Necyomantia‘ et ‚Icaromenippo‘ factum videmus, cuius rei singula exempla afferre supersedeo. Etenim utroque dialogo a Menippo hominum libidines et errores ridentur atque eluduntur, Ea autem in medium proferenda sunt, unde admistum esse perspiciatur, quod nisi de Luciano recte intellegi non possit. Ita utriusque dialogi ratio instituta est, ut Menippus, quippe qui summo studio flagraret eas res perdiscendi, de quibus diversa atque contraria crederentur, primum philosophis se traderet, deinde, etiam hac spe lapsus, eo, ubi optime de his rebus edoceri posset, in orcum, dico, et coelum ire constitueret. Quem vero fugere poterit studium illud eruditionis acquirendae desideriumque dubitationum, quibus obrutus sit, solvendarum a Menippo prorsus abhorrere? Cynicorum enim sectae, cui addictus erat, dogmata amplexus est, quae hi docuerunt, vera esse existimavit, cetera risu et cavillatione persecutus est. At Luciani indoli, qualis e multis scriptis elucet, mirum quantum, quae de cupiditate veri reperiendi dicta sunt, respondent. Saepius enim de ratione, qua litteris se erudire studuerit, disserit; unde intelligimus a prima iuventute eum operam dedisse, ut, quo fuit animo ad virtutem inflammato,

ingenium excoleret et, quid rectum pulchrumque esset, studio et cogitando cognosceret. De qua re optime C. Fr. Hermannus disputavit [1]). — Ad eam, quam posui, sententiam demonstrandam etiam hae duae res idoneae mihi videntur esse. Menippus enim ‚φιλόκαλος‘ ab amico nuncupatur [2]); quae vox quantopere in Lucianum cadat, statim percipitur; cum cynici autem moribus verbisque, quae sunt in ‚Icaromenippo‘ § 2 ‚τὰ μὲν γὰρ ἀμφὶ τὴν ὄψιν οὐ πάνυ ἔοικας ἐκείνῳ τῷ Φρυγί, ὥστε καὶ ἡμᾶς εἰκάζειν καὶ σε οἰνοχοήσοντά που ἀνάρπαστον γεγονέναι πρὸς τοῦ ἀετοῦ‘ nullo pacto conciliari possunt.

Atherum exemplum in ‚Icaromenippo‘ invenitur. Ibi (§ 16) cum alii philosophi exagitantur, tum Herophilus cynicus in lustro dormire dicitur [3]); incredibile sane est, Menippum cynicum quendam perstrinxisse.

Pherumque quidem Lucianus, ut ‚bis accusatum‘ et ‚piscatorem‘, ubi Syri significationem sibi indit, praeteream, si quem interlocutorum, quid ipse sentiat, dicentem facit, Lycini nomine utitur, veluti in ‚Hermotimo‘ ‚amoribus‘ ‚narigio‘ ‚imaginibus‘ aut vero Luciani, velut in ‚Nigrino‘ ‚de morte Peregrini Protei‘ aliisque.

Hic tamen cur Menippi personam adhibere maluerit, certa quaedam causa fuit. Ipsa enim illa itinera haud scio an ut a se facta facile referre non potuerit. Alium igitur, ad quem has partes deferret, circumspicienti, longe omnium aptissimus clarus ille philosophus videri debuit, quem nonnulla, quae ipse eloqui dubitabat propter mores omnibus notos pronuntiantem facere potuit. Neque enim omnia ibi exposita ad Lucianum referenda esse, iam ex eis, quae disputavi, patet [4]).

---

1) l. c. p. 208. 209. Alles was uns Lucian an verschiedenen Stellen seiner Werke über seine frühere Bildungsgeschichte mittheilt, zeugt von der idealen Richtung, die sein herrlicher Geist von Jugend auf nahm.

2) Nec. § 2.

3) Icarom. § 16.

4) cf. Wieland. l. c. ad init. Icarmenippi.

Quam personam Menippus apud Lucianum sustineat et quo tempore hi, de quibus agimus, dialogi confecti sint, exposuimus. Inde vero non modo nihil effici posse, unde Necyomantiam ab eo scriptam non esse consequatur sed et facile aetatem, qua profecta sit, angustioribus finibus circumcludi posse, et Menippi mores, quales ibi adumbrati sint, cum imagine in Icaromenippo depicta prorsus congruere vidimus. Itaque restant, quae in argumento invento, disposito, tractato nonnullis viris doctis indigna Luciano visa sunt. Qua in disputatione a dialogis mortuorum, qui omnes uno Jacobsio excepto ab omnibus genuini habentur, proficissi quam a Necyomantia praestat. Hoc enim modo qua ratione in argumento et concipiendo et enarrando Lucianus versatus sit, si perspexerimus, quid de Necyomantia iudicandum sit, rectius statuemus.

Fons dialogorum mortuorum, quin Odysseae liber XImus sit, dubitari nequit. Nam cum Homeri illa, quae vocatur, νεκυΐα ut hos conciperet, commotus, tum etiam nonnullorum argumentum inde petitum esse manifestum est. Hos ut enumerem, dial. m. XVImus ex Od XI, 601—603, d. XXIXmus ex Od. XI, 553—564, d. XVmus ex Od XI, 487—491, d. XVIImus ex Od. XI p. 582—592 sumpti sunt. Tum argumentum, quod dialogis XIXmo et XXVmo tractatum est, ex Iliade repetetiit, atque dial. XIXmum ex Il II, 698, 702, dial. XXV ex Il II 216 et 673.

Praetera ex aliis quoque poetis, qui nobis non iam noti sunt, pauca deprompsit; quod quidem de illis fabulis dicendum erit, quae apud alios quoque scriptores, qui cum Luciano non cohaerent, exstant. Quare ex fonte aliquo vetere eas sumpserit necesse est. Sunt autem dialogi et XXIIImus, eadem enim fabula ab Hygino [1]) narratur, et XXVIIImus, ubi eundem fortasse fontem, quem Ovidius in Metam. XII, 316—338, secutus est. Argumentum dialogi XIImi, quo Alexander et Hannibal de sum-

---

1) fab. 103 ed. Bernh. Bunte. Lipsiae 1856.

ma imperatoris laude contendentes inducuntur, ex historia colloquii, quod Ephesi habitum a Scipione Africano Livius, Appianus, Plutarchus referunt, Lucianum repetiisse verisimile est [1]) Dialogum Xmum ex Platonis Gorgia p. 526, 527 sumptum esse Hemsterhusius observavit [2]). Reliquos dialogos Lucianus e suo dedit atque ita instituit, ut deos et mortus de re quapiam confabulantes induceret.

Quamquam in universum quidem omnes mortuorum dialogi ea re affines similesque sunt, quod suae aetatis vitia argute et salse Lucianus notavit, ipsa tamen eiusmodi dialogorum natura secum fert, ut inter singulos, quippe quorum unusquisque imaginem perfectam singularemque efficiat, nexus aut tenuior aut nullus intercedat. Verumenimvero paulum aliter res in eis dialogis, in quibus Menippus primas partes agit, sese habet. Facile enim in his (sunt autem XI) Lucianus eam rationem persequi potuit, ut res eis adumbratae inter se aptae conexaeque essent, et quae de Menippo narrata sunt, ordinem quasi chronologicum exhiberent.

Quod ut faceret, tantum abfuit, ut et quae semel ex rerum natura ei accidere potuerunt, saepius accidisse referret, et quae hic illic de eo dicta sunt, prorsus contraria essent.

Iam Jensius [3]) et Wielandius [4]) monuerunt Lucianum singulos dialogos inter se conectere et colligere noluisse. Sed videamus singula. Decimo dialogo complures mortui, quo in numero Menippus est, a Mercurio et Charonte per lacum infernum traiciuntur atque, ubi primum adpulerunt, ille quidem cum reliquis mortuis procedunt, Mercurius vero et Charon statim alios traducturi renavigant. Idem autem Menippus saepius in orcum veniens fingitur; nam dialogi XVIIImi verbis (§ 1) ,ξενάγησόν

1) Hemsterhusius. ed. Luc. Lehmanni II p. 549.
2) ibidem p. 525.
3) ad dial. mort X, 1 ed. Lehm. II p. 526.
4) l. c. II p. 269 adn. 5.

με νέηλυν ὄντα' et (§ 2). ,*ὥστε σύ μὲν* (*Μένιππε*) *ἐπιλεξάμενος τόπον, ἔνθα ἂν ἐθέλῃς καταβαλὼν σαυτόν*' Menippum ad Acheruntem venire apparet; qui traiectus, cum Mercurius paulum in ulteriore ripa remansisse dicatur, ut viros pulchro et feminas pulchras ei monstret, id quod cum extremis dialogi Xmi verbis repugnat, non magis cum priore illo (dial. X) conciliari potest, quam qui dialogo XXmo subest. Menippus enim modo advenisse satis clare ibi arguitur, quod nihil in orco vidisse perhibetur, nisi quae ad inferos euntibus occurrebant [1]. Accedit, quod sub finem dialogi [2] dicit se iuxta Croesum et Sardanapalum, quorum querelas confusurus esse sibi videatur, habitaturum esse. Futurum igitur id esse hoc loco significatur, quod in dialogo IIo fieri legimus. Clarissime autem e dialogo XXII perspici potest, nullum inter singulos dialogos nexum intercedere. Charon ibi Menippum, quod obolum non pependerit, acerrime obiurgat; contra quae is in memoriam ei revocat in remigando a se adiutum eum esse. Hoc vero ministerium, de quo in mortuorum dialogis nihil invenitur, in dialogi, qui Cataplus inscribitur, § 19 a Cynisco Charonti praestatur [3]. Itaque crediderim Lucianum ad illa verba hoc loco alludere, unde hunc dialogum ante mortuorum dialogos scriptum esse sequitur; bene autem etiam id, quod supra statui, inde fulcitur, cynicos in Luciani scriptis nomine differre, moribus plane eisdem esse.

Praeterea Menippus Charontis iussu libenti animo baculum et peram, ne cymba nimis oneraretur abiecerat [4]; eundem autem baculo in dialogo XXIImo Charonti verbera intentantem [5]) Charontemque peram eius perscrutantem videmus [6]. Habet igi-

---

1) dial. mort. XX, 1.
2) dial. mort. XX, 6.
3) Cat. §. 19.
4) dial. mort. X, 2.
5) dial. mort. XXII, 1.
6) dial. mort. XXII, 3.

tur et hic et ubi Pythagoras esculenta ab eo petit[1]), ea, quae antea abiecerat, vestimenta. Idem, qui ubique eos perstringit, qui eadem inter mortuos discrimina, quae inter viros fuerint, interesse censeant, (XVIII, 1; XXVIII, 1) a Thersite et Nireo iudex eligitur, qui, uter pulchrior sit, decernat. Quam litem ad ipsum Menippum, qui dirimeret, delatam esse Lucianus bene non finxisset, nisi id solum spectasset, ut pravas de inferorum condicione opiniones irrideret. Atque idem in opprobrium Socrati factum cadit, quod ne in orco quidem iuvenum pulchrorum consuetudine uti desistat[2]), quamquam paulo antea in eodem dialogo (XX, 5) Menippus ‚eas formae notas, quibus uti vivum veteres solebant Socratem Aeacus describit, nihil ad eum discernendum valere, sed omnibus aeque mortuis esse communes iocatus erat.' — Breviter hic mihi attingendum puto, quibus de causis Jacobsius hunc dialogum alius scriptoris esse voluisse videatur. Imprimis Pythagoras, Empedocles, Socrates, qui saepissime a Luciano commemorantur, increpitantur. Pythagoras quidem fabas edere neque iam aureum femur habere dicitur (XX, 3). Contra in veris historiis[3]) et in vitarum auctione[4]) aureum ei femur est a fabisque se abstinet[5]). Quodsi contrariis his de philosopho opinionibus Jacobsius offensus est, respiciendum tamen est, Pythagoram etiam in Gallo fabas se edere dicere[6]); tum ibi ipse fatetur[7]), leges, quibus, ne sectatores carne aut fabis fruerentur, vetitum esset, latas a se esse, ut insolitis praescriptis maiorem sui admirationem hominibus iniceret; at in vitarum auctione propter sanctitatem fabarum et quod Athenis magistratuum sortitio fabis fieret, hoc prae-

1) dial. mort. XX, 3.
2) dial. mort. XX, 6.
3) Ver. hist. II, 21.
4) Vit. auct. § 6.
5) Vit. auct. § 6. Ver. hist. II, 24.
6) Gall. § 5.
7) Gall. § 18.

scripsisse dicitur[1]); ubi a vero quoque temporum ordine Lucianum aberrasse observare iuvat.

Contraria igitur, etiamsi hunc dialogum dempseris, de Pythagora referuntur; neque secus res in Empedocle et Socrate se habet. Ille enim hic (XX, 4) in orco esse ‚ἡμίεφθος ἀπὸ τῆς Αἴτνης παρών‘ in ‚veris historiis‘ ex beatorum insulis exclusus esse[2]), in Icaromenippo in luna habitare perhibetur[3]). Socrates autem ut in ‚veris historiis‘ et ‚Necyomantia‘[4]) cum Nestore et Palamede disputans inducitur simulque ob dictum illud pervulgatum, quo nihil se scire affirmavit, perstringitur (XX, 5, 6).

Aeacus quidem, qui passim custos faucium orci esse[5]) et mortuos a Mercurio allatos percensere[6]) narratur, hic in ulteriore lacus inferni ripa moratur[7]). Verum hac re non magis est quod offendamur, quam ea re, quod Menippus colaphum Sardanapalo ducere, et ne ducat, ab Aeaco prohibitus in eius faciem inspuere vult[8]); ad Micyllum enim relego, qui in ‚Gallo‘ Simoni colophum ducit[9]). Itaque hunc dialogum e Luciani manibus prodiise negandum non est. Ut de eis dialogis, quos item Jacobsius ab alio scriptore profectos esse voluit, quid sentiam, statim addam, omnino non video, quid in dialogis XXXImo et XXVIImo Luciano indignum insit. Dialogum autem XXVIIImum eius esse vir ille doctus videtur negasse, propterea quod in argumento obsceno versatur. Verum ad eandem de Tiresia fabulam etiam in Gallo[10]) alluditur; ac Lucianum de eiusmodi rebus

---

1) Vit. auct. § 6.
2) Ver. hist. II, 21.
3) Icarom. § 13.
4) Ver. hist. II, 17; Nec. § 18.
5) dial. mort. XIII, 4. XVI, 2. XX, 1.
6) Cat. § 4.
7) dial. mort. XX, 6 cf. Nec. § 17.
8) dial. mort. XX, 2.
9) Gall. § 30.
10) Gall. § 19.

agere minime dubitasse exemplis confirmare supervacaneum est Fuerunt quidem, qui, cum de argumento lascivo Lucianus dissereret, consilia eum semper ad dignitatem virtutemque rettulisse censerent [1]). Quam rationem non minus improbandam esse puto, quam eorum, qui vel summa inde opprobria repetierint [2]).

Immo vero ipse quoque aliquatenus aetatis illius labe tactus atque, etiamsi coaevis iudicio saniore animoque sinceriore eum fuisse nequaquam infitior, arctius tamen cum totius aetatis cogitationibus studiisque coniunctus fuit, quam ut omnem inanitatem opinionumque pravitatem, quae tum invaluerant, amputare circumcidereque posset. Optime C. Fr. Hermannus [3]) eum cum servo comparasse mihi semper visus est, qui, quamvis vincula fregisset, in patriam tamen redire nesciret neque focum laremque familiarem constituere sibi posset.

Sed, ut redeam, unde exorsus sum, lis inter Alexandrum et Hannibalem de summa imperatoria laude commota (d. m. XII), nisi apud inferos ἰσοτιμίαν [4]) esse e memoria deposuerimus, locum habere non potuit. Quid quod tota dialogorum mortuorum ratio everti posset, si Lucianum notiones opinionesque de inferis a veteribus conceptas omnino sequi debuisse vellemus. Ex ea enim re omnes fere pendent, quod mortui, qua ipsi in vita condicione usi sint, memores sunt. Notum vero est mortuos ex

---

1) C. G. Jacob. 1. c. p. 169—193. p. 169. Lucion ist nie frivol oder lüstern, um seine Leser durch schlüpfrige Schilderungen zu unterhalten, sondern dergleichen Scenen sind, wo er sie beschreibt, einem höheren Zweck untergeordnet; denn er will abschrecken, lehren, nützen. cf. quae contra disputavit C. Fr. Hermann. l. c. p. 226. Die einzige Entschuldigung liegt im Geschmack seiner Zeit und der Veränderung seiner eigenen Lebensrichtungen.

2) Tzschirner: der Fall des Heidenthums.
ed. Niedner. Leipzig 1829 p. 154. 155.

3) l. c. p. 215.

4) dial. mort. I, 4. XV, 2. XXVI, 2.

veterum sententia, simulac Lethae aquam bibissent, pristinae vitae oblivionem cepisse. Atque ita quoque in ‚Cataplo' Megapenthes tyrannus ea poena quasi gravissima et acerbissima afficitur, ut a Lethae aqua prohibeatur semperque recordetur, quis fuerit, quantumque valuerit (§ 26).

Item Alexander, ut bonorum, quae in vita ipsi fuerint, obliviscatur, huius aquae plurimum bibere a Diogene iubetur [1]).

Iam mihi satis magnam exemplorum vim attulisse videor, quibus Lucianum non cavisse, ne quid referret, quod cum opinione aut re prius narrata, repugnaret, clare lucideque demonstrarem. Ac ne potest quidem a scriptore satirico ea, quae historicorum est, vel in levissimis rebus diligentia et subtilitas efflagitari [2]). Libertatem enim semper eiusmodi scriptoribus concedendam ab omnibusque usurpatam si dempseris, satiram ipsam sustuleris.

Sequitur, ut de Icaromenippo verba faciamus. Argumentum huc fere redit: Menippus, cum de rerum natura, sole, buna, sideribus certi aliquid cognoscere vellet, ad philosophos se contulit, confisus fore, ut de omnibus philosophiae naturalis quaestionibus nullo negotio ab eis edoceretur. Quod ut assequeretur, tantum abfuit, ut ubi primum illis operam dare coepit, statim intellegeret, eos ipsos, quid de his rebus statuendum esset, non consentire, sed alium aliam de his rebus conceptam habere notionem. Quare ne diutius haesitaret, in coelum, ubi ipsum verum optime perspizi posset, ascendendi consilium cepit. Alis comparatis corporique accommodatis celeriter evolavit et primum ad lunam pervenit, unde Empedoclis ope oculo acatissimo instructus totam terram perlustravit. Qua oculorum acie usus quaecunque homines facientes vidit, ita descripsit, ut miro quodam sale et dicacitate eorum mores, studia, totam denique vi-

1) dial. mort. XIII, 6.

2) C. G. Jacob. l. c. p. 129.

tam perstringeret. Vix, postquam omnia satis aspexit, viam institutam persequi coeperat, cum luna muliebri voce ab eo petiit, ut morem sibi gereret et Iovi, quae philosophis exprobraret, renuntiaret; nisi enim ille eos puniret, diutius se in sede sua remanere non posse. Quae facturum se esse pollicitus tertio die postquam a luna profectus est, ad coelum pervenit benigneque a Iove exceptus. est. Iam Lucianus iucundissimam nobis de vita deorum imaginem negotia et otium amplexus depingit, quae tanto lepore tantaque festivitate perfusa est, ut omnium, qui legunt, animos necesse sit capiat ac detineat. Postero die deorum concilio de Menippi adventu convocato Iuppiter iamdudum se philosophis irasci neque amplius eorum superbiam, vanitatem, iactationem perferendam esse oratione exposuit; cum vero ipso illo tempore feriae essent, vere ineunte, quas res ac ratio flagitaret, poenis eos affecturum se esse. Tum Menippus, qui haec omnia familiari cuidam narraverat, Iovis iussu a Mercurio in terram reductum se esse breviter addidit.

Franziscus Fritzschius [1]) suspicatur Lucianum ex Aristophanis pace primarium huius dialogi inventum mutuatum esse. Quod verum esse concedo, quamquam dubito an recte idem verba Luciani (Icar. § 10) *τούτου δέ μοι παρεῖχε τὴν ἐλπίδα μάλιστα μὲν ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ λογοποιὸς Αἴσωπος ἀετοῖς καὶ κανθάροις, ἐνίοτε καὶ καμήλοις βάσιμον ἀποφαίνων τὸν οὐρανόν*' ad versus pacis Aristophanis 129, 130.

,*ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις ἐξευρέθη*
μόνος (κάνθαρος) πετεινῶν εἰς θεοὺς ἀφιγμένος'

et quae Lucianus dicit in § 22 ,*ἄριστον οὖν κρίνας τὸ μὴ παρακινδυνεύειν ἔκοπτον προσελθὼν τὴν θύραν* ad versum 179 eiusdem fabulae

,*τίς ἐν Διός θύραισιν; οὐκ ἀνοίξετε;*

1) ed. Luc. ad Icar. § 10 et 22.

rettulerit. In priore enim loco propter aquilam a Luciano adiectam Aristophanem respici non crediderim; in posteriore autem, eum, qui ad deorum domicilium venit, portam pulsare tam facile ex hominum consuetudinis similitudine sumi potuit, ut inde Lucianum ea repetiisse vix sit, cur statuamus. — Hic autem dialogus facetissimis lepidissimisque Luciani operibus annumerandus est totusque musam Aristophanis spirat. Namque argumentum et ingeniose inventum et bene illustratum est. Contumeliarum enim aculei in philosophos potissimum cadunt; hi a Menippo, quod contraria et secum pugnantia doceant, irridentur, hi a luna, qua quis aptius et elegantius fingi potuit facinorum noctu perpetratorum vitiorumque hominum oculis subtractorum conscius esse? apud Iovem rei fiunt, hos denique Iuppiter ob vitam, mores, vanae doctrinae iactationem gravissimis suppliciis dignos iudicat. Verum ne aliis quidem hominum ordinibus Lucianus, sicut mos eius est, pepercit. Quam lepide, ut hoc eximam quinque clarissimi populi singulis singuli verbis adumbrantur et illuduntur! § 16 ‚τοὺς Αἰγυπτίους γεωργοῦντας ἐπέβλεπον, καὶ ὁ Φοῖνιξ δ' ἐνεπορεύετο καὶ ὁ Κίλοξ ἐλῄστευε καὶ ὁ Λάκων ἐμαστιγοῦτο καὶ ὁ Ἀθηναῖος ἐδικάζετο.

Quae cum ita sint, non video quibus de causis Iacobsius hunc dialogum Luciani non esse iudicaverit. Neque enim quidquam de laude eius detrahere potest, quod Lucianus bis temporum ordinem non servavit. Alexander Pheraeus (§ 15) una cum diadochis commemoratur, quamquam circiter annis L ante eos vixit.— Verbis, quae sunt § 16 ‚Ἑρμόδωρον μὲν τὸν Ἐπικούρειον χιλίων ἕνεκα δραχμῶν ἐπιορκοῦντα ἑώρων‘ ad stipendium philosophis a Marco Aurelio assignatum alluditur.

Age vero ad Necyomantiam transeamus argumentaque recenseamus, quibus Wielandius potissimum Lucianum eam non scripsisse demonstrasse sibi visus est. Ac primum quidem observavit, Lucianum id, unde exorsus esset, firmiter non retinuisse, et per totum dialogum artem eam desiderari, qua omnia

concluderentur ac concinnarentur. Quod vituperium quomodo se habeat, iam videamus.

Summa argumenti huc fere redit: Menippus amico narrat, quo desiderio impulsus quibusque artibus usus in orcum descenderit eique, quid ibi viderit et audierit, cum describat, divites potissimum ac potentes increpat acerbumque in eos a mortuis plebiscitum latum esse affirmat. Deinde a Tiresia edoctum vitam hominum illitteratorum beatissimum esse (hoc enim scire voluerat) ex orco se in terram redisse refert.

Ut a causa, qua commotus Menippus iter illud insolitum suscepisse dicitur, incipiamus, diu eam circumspicere aut alte arcessere Luciano opus non fuit. Fabulae enim de deis celebratae vitiis facinoribusque eorum tam refertae fuerunt, ut si quis eas consideraret, improbandas reiciendasque eas esse statim videret. Quare iam a veteribus Graecorum philosophis gravissime vituperatae sunt imprimisque a Platone, qui omnino eas, quibus res turpes atque inhonestae de deis canerentur, a iuvenum disciplinis removeri voluit[1]). — Dubitantem igitur Menippum Lucianus fecit, utrum in vita instituenda fabulas illas, cum quae dei facerent, bona esse oporteret, an leges sequeretur, quibus homines contraria facere iuberentur. Ne diutius haesitaret philosophis se erudiendum tradidit, sed ibi quoque spe destitutus, cum illi, quid bonum esset, non consentirent, atque quae ipsi agerent, maxime cum ipsorum placitis repugnarent, animum induxit, ut Tiresiam, vatem illum sapientem, de vita beata consuleret. Itaque ut magorum artibus in orcum duceretur, Babylonem contendit eoque cum venisset, id quod voluit, assequutus est. Nam Mithrobarzanis magi beneficio cum ad inferos descendisset, postquam orcum permigravit, vatem illum adiit. Qui interrogatus, quaenam vitae instituendae ratio eligenda esset, ὁ τῶν ἰδιωτῶν, inquit, ἄριστος βίος· Καὶ σωφρονέστερος ἔσῃ[2]),

---

1) Plato. Republ. II p. 377 sqq.

2) sic correxit Fr. Fritzschius. Luc. ed. ad h. l.

εἰ τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν καταπτύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν καὶ τὰ ταιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ, ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς (§ 21). Iam ex his, quae disputavimus, perspicum est, dialogo non deesse, quo contineatur; finis enim eodem rèdit, unde liber exorsus est.

Illud vero Tiresiae responsum quantopere cum tota Luciani indole aliisque de hac re dictis conveniat, neminem fugere potest. In Hermotimo, ubi vitam brevem, longam artem esse sibi persuasit, virtutem factis cerni probandamque esse dixit[1]). Atque idem in Navigio statuit: ‚ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτ' ἐγίνετο, ποικίλα ὦ Φίλων ἐγὼ πρὸς ἐμαυτὸν ἐνενόουν, τὸ πρόχειρον ἐκεῖνο, ὡς οὐδὲν ὄφελος ἦν ἄρα ἐπίστασθαι τὰ μαθήματα, εἰ μή τις καὶ τὸν βίον ῥυθμίζοιπρὸς τὸ βέλτιον (§ 34).

Quem modo esse in Necyomantia sententiarum nexum, non ita quidem Lucianus per totum dialogum retinuit, ut philosophos solos irrideret; sed in alios quoque homiues invectus est. Primum quidem ea, quae Menippus, cum philosophos perstringit, dicit, de rerum natura minime eadem, sed plane contraria eos docere[2]), quamquam ad quaestionem de vita beate motam minus spectant, interposita tamen videntur, ut opprobriorum eis factorum vis augeretur.

Deinde magna dialogi pars in mortuorum condicione describenda versatur (§ 10—20). Hic autem locus est, ut inquiramus, quidnam ex Menippi necyia Lucianis deprompsisse videatur. Nescimus, qua ratione Menippus satirae argumentum disposuerit et tractaverit; ex ipsa autem inscriptione dilucide apparet, eum Homeri necyia respecta necromantiam irrisisse et de rebus, quae ad inferos pertineant, lepide egisse. Itaque quamquam de singulis rebus a Luciano narratis ita disserere in animo

---

1) Herm. § 79.
2) Nec. § 4.

non habeo, ut exponere coner, quasnam Menippo debuerit, in universum tamen vix dubitari posse arbitror quin eam partem, qua de mortuis agat, inde sumpserit. Qua in re ne illud quidem diiudicare audeo, num Menippus quoque plebiscitum mortuorum aut simile aliquid descriptioni addiderit; facile autem in eam suspicionem incidere poterimus, si in epistolis quoque Saturnalibus, quas et ipsas ex Menippi imitatione profectas esse vidimus, leges quasdam, quae per Saturnalia valeant, afferri in memoriam revocaverimus (Sat. § 13—17). Iam igitur inde explicari potest, cur Lucianus de mortuis copiosius egerit; accedit, quod cavillationis aculeos etiam in divites cadere voluit. Quod quidem ita esse ut intellegamus, quae Lucianus de rebus infernis refert, singillatim perpendamus.

Primum ad Minois forum adducimur, a quo omnes mortui ab umbris accusati condemnantur (§ 11). Hae, cum hominibus semper adhaereant, accusatorum munere fungi dicuntur. Wielandius[1]) et, qui eum sequitur, Lehmannus[2]) monuerunt, umbras, cum luce efficerentur, ad flagitia, quippe quae multa in noctis tenebris committerentur, detegenda idoneas non esse. At novos quosdam et insolitos, qui homines scelerum accusarent et convincerent, rhetores Lucianus inducere voluit; quamobrem multorum facinorum homines ab eis coargui posse ei sufficiebat; neque nobis anxie et accurate circumspiciendum est, num omnium revera scelerum hae consciae esse possint.

Ut igitur in hoc invento nihil inest, cur quis haereat, ita ne ea quidem, quae de Dionysio narrantur, quamquam umbrarum auctoritas, quos testes locupletes esse modo dictum erat, gravissime frangitur, contra Lucianum huius satirae scriptorem afferri possunt. Dionysius enim, quamvis a Dione accusatus et ab umbra scelerum convictus esset, cum Aristippus philosophus multos homines eruditos ab eo pecunia adiutos esse affirmaret,

1) l. c. II p. 360.
2) l. c. III p. 372.

causam obtinuit. Quodsi quomodo iudicio liberatus sit, cum praecedentibus minus congruenter exponi non potuit, dubium esse non potest, quin Lucianus certo quodam consilio ductus hanc rem orationi intermiscuerit. Illud vero quale fuerit ut iudicare possimus, oratio paulo altius repetenda et ad ‚Imagines' dialogum revocanda est. Ibi enim quaeritur, num Panthea, quae femina omnibus et corporis et animi virtutibus instructa fuisse dicitur, revera vixerit. Wetzlarus[1]) quidem, postquam omnes virorum doctorum de hac muliere opiniones ideo stare non posse exposuit, quod ‚stilo oratorio et fucato' hic liber a Luciano iuvene scriptus esse argueretur, Antonini autem Pii neque uxor neque concubina, quae intellegi posset, ab historicis unquam commemomaretur, ‚hunc dialogum ἐπίδειξιν declamationem ad pompam, et ostentationem de argumento ab auditoribus proposito' fuisse censuit. Cui ne assentiar, ipsis Luciani verbis impedior. Is enim cum imperatore eam vivere dixit[2]) eumque beatum esse praedicavit, quod talis femina, illa aetate nata, amore eum prosequeretur[3]). Itane autem, cum verbo βασιλεύς imperatur vel regius quidam adolescens necessario intellegendus sit, credibile est, eum scripturum fuisse, nisi certam quandam feminam et certum quendam imperatorem respexisset? Considerandum igitur, num quid certi de eis statui possit.

Wielandius[4]) concubinam eam, cuius consuetudine M. Aurelius Faustina uxore anno 172 mortua uteretur, significari ingeniose suspicetus est. Sed totum dicendi genus adeo rhetoricen redolet, ut in eam aetatem, qua Lucianus satiras et inventione et dictione perfectissimas absolutissimasque scripsit, hic dialogus referri non possit. Nihil autem obstare video, ne in

1) de vita, aetate et scriptis Luciani S. Marburg. 1830.

2) Imag. § 10.

3) Imag. § 22.

4) l. c. III p. 305.

Franzisci Fritzschii[1]) sententiam inclinemus, qui Lucianum a Vero imperatore hac commentatione gratiam inire frustra studuisse ideoque paulo ante Necyomantiam scriptam eam esse putat. Quam sententiam si amplexi sumus, quid verba e Necyomantia allata sibi velint, statim elucet.

Lucianus enim spe gratiae sibi reconciliandae destitutus, cum potentes ac divites hac satira rideret, simul id spectavit, ut quantum homines eruditi vel imperatorem adiuvare possent, exemplo luculento illustraret. Ac sane illud, quod voluit, optime assequutus est. Quare si in consilium rationemque Necyomantiae paulo diligentius inquisiverimus, consulto cogitateque vel ea a Luciano ficta esse intellegemus, quae primo aspectu temere et prave dicta videantur.

Arctissime vero cum hac re ea, quae Lucianus in § 17 refert, cohaerent; etenim ibi quoque imprimis eos, qui opibus valent, castigat atque ita quidem, ut ex monumentis summo sumptu exstructis nullum omnino eos fructum apud inferos capere Mausoli exemplo exponat et reges satrapasque inopia coactos mendicantes, pisces vendentes, elementa litterarum docentes inducat. Philippus certe e rege sutor veteramentarius non est, qui Luciano obiurgetur. Comicum enim aliquem Graecum secutus tam vile opificium regi illi videtur tribuisse[2]).

Copiosius supplicia, quae de mortuis sumuntur, illustrantur. Vividioribus autem coloribus tormentorum genera expressa esse, quae fuit sententia Solani[3]), videre non possum. Quae enim de his rebus hic dicuntur, etiam alibi apud Lucianum inveniuntur[4]).

Maior tamen offensio, a nullo, quod sciam, iam aperta in

1) de Necyomantia dialogo Lusiani genuino. Rostochiae 1864. p. 5.

2) Fr. Fritzschius. Luc. ed. II, 1 ad h. l.

3) ed. Bip. III p. 402 ad § 14 Nec. v. ὀπτωμένων ‚haud temere, inquit, similia apud ethnicos invenies‘.

4) dial. mort. XXX, 1. Ver. hist. II, 29.

verbis ‚καὶ μετέμελε πᾶσι τῶν τετολμημένων‘ (§ 14) latet. Quibus verbis homines impii poenis eo adducti esse dicuntur, ut flagitiorum poenitentia eos subierit. Poenitentiae notionem ut concedam a veterum religionum natura non prorsus alienam fuisse, adeo tamen haec verba ex tota ratione huius dialogi delabuntur adeoque a satirae natura indoleque abhorrent, ut ab eodem, qui ‚Necyomantiam scripserit, profecta ea esse mihi persuadere non possim.

Certissima interpolátionis restigia prae se ferunt; eius enim sine dubio sunt, cui ipsi supplicia ibi descripta revera ab hominibus sceleratis sumi persuasissimum fuit. Fac igitur Christianum quendam librarium haec legisse, num incredibile videtur, eum, cum harum poenarum descriptione metu terroreque correptus esset, fieri non posse ratum, quin illos quoque ex suppliciis scelerum poeniteret, haec verba in margine addidisse? unde quam facile in textum recipi potuerint in promptu est.

Praeter philosophos et divites Lucianus in transcursu etiam necromantiam elusit et certum quendam, quem irrisione increpitaret, elegit (§ 6) Mithrobarzanes quidem nomen fictum est; quis vero intellegendus sit, praeclare Fr. Fritzchius [1]) perspexit; eundem enim esse, cuius in ‚Philopseude‘ (§ 11) mentio fieret et qui a scholiaste (ad Philops. § 12) Iulianus pater esse diceretur, demonstravit. Iulianus enim pater teste Suida [2]) Chaldaeus appellatus est, ut a filio Iuliano eodemque mago cognomine ‚ὁ θεουργος‘ [3]) discerneretur. Idem senex a Luciano esse perhibetur (§ 6 ‚πολιῷ μὲν τὴν κόμην‘); quodcum filium M. Antonino imperatore floruisse Suidas referat [3]), pater anno 164 provecta aetate fuerit necesse est. Itaque etiam inde patet ‚Necyomantiam‘ et

1) de Necyomantia dial. L. genuino. p. 5.

2) s. v. Ἰουλιανός· Χαλδαῖος φιλόσοφος πατὴς τοῦ κληθέντος θεουργοῦ Ἰουλιανοῦ.

3) s. v. Ἰουλιανός· ὁ τοῦ προλεχθέντος υἱὸς ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου τοῦ τοῦ βασιλέως γεγονώς.

Luciani esse et eo, quod supra statuimus, tempore confectam[1]).

Tum Wielandius [2]) ei, qui ‚Necyomantiam' scripsisset, ‚Icaromenippum' ante oculos observatum esse eumque argumentum ita deflexisse putavit, ut pro philosophia naturali ethicam poneret Menippumque non ad superos, sed ad inferos euntem faceret; ut autem quicunque in coelum evolasset, optime eum, quae rerum caelestium natura esset, ibi discere, ita Menippum id, quod scire vellet, nusquam minus quam in orco doceri posse; Tiresiam enim, utpote qui cum vates esset, res futuras tantum praedicere posset, idoneum non esse, qui quaestionem ex philosophia ethica sumptam dissolveret.

At cum e temporum ratione supra a nobis observata tum inde, quod ‚Icaromenippo' philosophi, ‚Necyomantia' praeter eos divites ac potentes perstringuntur, luculenter patet, eam, quam Wielandius esse voluit, inter has satiras rationem intercedere non posse. Ne de Tiresia quidem, quae monuit, recte iudicavit. Praeterquam enim quod Lucianus suo iure has partes ad eum deferre potuit, iam ante eum Horatius [3]) vatem illum Ulixi respondentem finxerat, quibus artibus atque modis res amissas reparare posset. Ea igitur re Horatius et Lucianus concinunt, quod Tiresias non de rebus futuris consulitur; de ceteris autem cum discrepent, eo non adducor, ut Theod. Fritzschio vatem eandem apud Horatium atque apud Lucianum personam agere assentiar. Aliud enim consilium uterque persequitur, poëta Romanus eos, qui testamenta quovis modo captare studebant, multa cum libertate notat, satiricus Graecus philosophos et divites pungit.

---

1) Faccre non possum, quin ingeniosam Fr. Fritzschii coniecturam commemorem, qui Nec. § 7 ἐπανῆγε — προσβλέποντα scripsit. Miratus autem sum, quamdiu viri docti illud ab Hemsterhusio propositum ἀποπτύσας (αὐτὸς) ἐπανήειν tolerare potuerint, quamquam ita Graece dici non posse manifestum est.

2) l. c. II p. 358. 359.

3) II Serm. V. 2, 3.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata pententi
responde, quibus amissus reparare queam res
artibus atque modis.

Tum vero et quae Tiresias Menippo respondet, et quae de Menippi consilio, quo ductus in orcum descenderit, secum et cum Luciani indole moribusque tam arcte cohaerent, ut omnia haec e suo Lucianum dedisse facile crediderim.

Verum cum Luciano in eis scriptis, quibus de testamenta captantium artibus agit, dico dialogos mortuorum V — IXmum multa cum Horatio communia sint[2]), iure meritoque statuere possumus Menippum quoque eas irrisisse atque elusisse. Quod quidem qua satira fecerit, cum non omnes scriptorum eius tituli servati sint, dici nequit. Atque id quoque dubium relinquitur, an Menippus Tiresiae personam adhibuerit.

At insunt in ‚Necyomantia', quae eodem aut simili modo etiam alias a Luciano dicta sint. Sane quidem et res aliis dialogis adumbratae referuntur, et sententiae atque similitudines eaedem atque in aliis libellis inveniuntur. Sed eiusmodi repetitiones in omnibus Luciani scriptis occurrunt. Cuius rei exempla pauca afferamus. — Luculentum documentum est dialogus Xmus mortuorum, cuius argumentum etsi plenius adumbra-

---

2) Hor. II Serm. V, 12, 13. dulcia poma
et quoscunque feret cultus tibi fundus honores
ante Larem gustet.

Luc. dial. m. IX, 2 μετὰ δὲ παντοῖά μοι δῶρα προσήγετο ἁπανταχόθεν τῆς γῆς τὰ κάλλιστα.

serm. II, V, 24. neu si vafer unus et alter
insidiatorem praeroso fugerit hamo
aut spem deponas aut artem illusus omittas.

d. m. VIII, 1 καὶ νῦν Ἑρμόλαος ἔχει τἀμὰ ὥσπερ τις
λάβραξ καὶ τὸ ἄγκιστρον τῷ δελέατι συγκατασπάσας.

serm. II, V, 56. plerumque recoctus
scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem.

d. m. V, 1. οἱ δὲ προαπίτωσαν αὐτοῦ μάτην ἐπιχανόντες.

serm. II, V, 69. invenietque
nil sibi legatum praeter plorare suisque.

d. m. IX, 3. ἐκείνας (διαθήκας) κατέλιπον οἰμώζειν ἅπασι φράσας.

tum uberiusque illustratum dialogo, qui ‚Cataplus‘ inscribitur, subest.

Alexander et Hannibal, quorum de summa imperatoria laude concertantium lis a Minoe Scipionis accessu ita diiudicatur, ut Alexandro primae, Scipioni secundae, Hannibali tertiae deferantur (dial. m. XII, 7), de eadem re litigantes in ‚veris historiis‘ (II, 9) inducuntur.

Certamen Lacedaemoniorum et Argivorum de Cynuria motum Icar. § 18 et Char. § 24 commemoratur atque ita quidem, ut rideantur, quod pro re tam levi et pro terra tam exigua tot homines mortui sunt.

Dialogi mortuorum IImi argumentum etiam Nec. § 18 inveniri iam diximus.

Saepius eadem totidem fere verbis dicit:

Semel morimur. dial. mort, XVI, 3; XVII, 2; Catapl. § 18. Omnia ut aspiciantur fieri non potest, res vero primariae inspiciendae sunt. dial. mort. XX, 1; Char. § 2 Icar. § 16. Philosophi, quippe qui res vulgares omnibusque notas demonstrent, veluti, si dies sit, noctem esse non posse, eluduntur. Gall. § 11. Herm. § 81.

Id quod verum est, dicendum est. Gall. § 18. Philops. § 24. pro. Imag. § 12.

Praeterea compara dial. mort. XIII, 1 *οὐ γὰρ ἂν ἐτεθνήσκειν Ἄμμωνος ὤν* cum dial. XIV, 1 *οὐ γὰρ ἂν ἐτεθνήσκεις Ἄμμωνος ὤν.*

dial. mar. V, 2 *καὶ ἄχρι χειρῶν ἂν τὸ πρᾶγμα προὐχώρησεν* cum Sympos. § 1. *καὶ ἄχρι τραυμάτων προχωρῆσαι τὸ πρᾶγμα.*

dial. mort. XVII, 2 *οὐ σχολή μοι, ὦ Μένιππε, συμφιλοσοφεῖν* cum Hermot. § 11 *οὐ σχολή μοι ὦ Λυκῖνε, περὶ τούτων διαλέγεσθαι.*

dial. mort. VI, 2 *κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα, λήμης δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς μεστὸν ὄντα* cum Philops. § 8 *εἰ μὴ πάνυ τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸς εἴην.* Philops. § 8 *καὶ δῆλοι ἦσαν κατεγνωκότες μου*

πολλὴν τὴν ἄνοιαν cum Philops. § 31 ὅς οὐχὶ κατέγνωσέ μου πολλὴν τὴν ἄνοιαν.

Icarom. § 13 καὶ οὗτος αὐτῶν πρῶτα φέρεσθαι δοκεῖ, ὃς ἂν μεγαλοφωνότατός τε ᾖ καὶ ἰταμώτατος καὶ πρὸς τὰς βλασφημίας θρασύτατος cum bis accuss. § 11 καὶ οὗτος κρατεῖν ἔδοξε, ὃς ἂν μεγαλοφωνότερος αὐτῶν ᾖ καὶ θρασύτερος καὶ διαλυομένων ἀπέλθῃ ὕστερος.

Porro ii, qui animis magnopere aliqua re permoti sunt, cum canibus rabiosis (Nigr. § 38; Philops. 40), cum eisdemque Herm. § 86 philosophi comparantur.

Haec sufficiant; iam ea, quae in ‚Necyomantia' insunt, exempla subiungamus.

Mortui adeo sibi similes sunt, ut ne Thersites quidem a Nireo discerni possit (Nec. § 18. d. mort. XXV). Inferis unius pedis spatium assignatur. Nec. § 17. Char. § 24.

De Mausoli sepulcro iocatur. Nec. § 17. d. m. XXIV, 2. Homines cum histrionibus conferuntur. Nec. § 16; Gall. § 26; Nigr. § 20.

Divites divitias ut Danaen conclusas tenere dicuntur. Nec. § 2. Tim. § 13.

Eidem, qui adeuntibus raro sui copiam faciunt et allocutione sola beatos eos a se reddi putant, sum sole exorto comparantur. Nec. § 12. Navig. § 22.

Adde Nec. § 1 οὐ Μένιππος οὗτός ἐστιν, ὁ κύων; οὐ μὲν οὖν ἄλλος, Μένιππος ὅλος. Tim. § 54 ἀλλὰ τί τοῦτο; οὐ Θρασυκλῆς ὁ φιλόσοφος οὗτός ἐστιν, οὐ μὲν οὖν ἄλλος. dial. mort. XVI, 1 οὐχ Ἡρακλῆς οὗτος ἐστιν; οὐ μὲν οὖν ἄλλος, μὰ τὸν Ἡρακλέα. Nec. § 2 μὴ φθονήσῃς τῶν λόγων φίλῳ ἀνδρί· πρὸς γὰρ εἰδότα σιωπᾶν λέγεις τά τ' ἄλλα καὶ πρὸς μεμυημένον. Navig. § 11 μὴ γὰρ ὀκνήσῃς εἰπεῖν, εἰ μή τι ἐστι τῶν ἀπορρήτων, καίτοι ἐτελέσθημεν, ὡς οἶσθα, καὶ στέγειν μεμαθήκαμεν.

Nec. § 3 τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπότε φίλος ἀνὴρ βιάζοιτο; Char. § 2 τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπότε φίλος τις ὢν βιάζοιτο;

Has igitur repetitiones, cum in omnibus Luciani scriptis inveniantur, quid perversius esse potest quam in ceteris quidem dialogis neglegere, in ‚Necyomantia' autem sola observare indeque argumentum, quo ab hoc scriptore eam conceptam non esse consequatur, sumere? atque eo perversius est, cum ‚Necyomantia' in priorum, quas Lucianus confecit, satirarum numerum referenda sit. Nimirum facile ei, cum permulta scriberet nonnullisque dialogis de rebus sibi cognatis et affinibus ageret, neglegentia quadam accidere potuit, ut ea, quae iam dixerat, postea repeteret similibusque verbis referret.

Quoniam de horum scriptorum argumento disseruimus, restat, ut dictionem dicendique genus paucis ettingamus.

Color et habitus orationis plane idem est, qui in ceteris huius scriptoris libris invenitur imprimisque in ‚Necyomantia' nihil est, quod a Lucianea oratione alienum sit. Quod ut demonstremus, duas tantum res allaturi sumus.

Lucianus veterum poëtarum scriptorumque versibus et sententiis tanquam gemmis dialogos ornavit et distinxit idemque proverbia saepius orationi inseruit; collecta haec sunt a Jacobitzio in indice editionis Luciani Teubneriana s. v. ‚proverbia'; quibus addi possunt: *κοινὸς Ἑρμᾶς* (navig. § 12), *τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχειν* (Hermot. § 78), *ἀποβαλεῖν τοὺς ὤμους πτίττοντα* (Herm. § 79).

Utrumque etiam in his scriptis factum videmus. Proverbia extant Nec. § 4 *ἐς αὐτὸ τὸ πῦρ ἐκ τοῦ καπνοῦ βιάζεσθαι* dial. mort. VII, 2 *ἄνω ποταμῶν τοῦτο γε* et *ἡ ἅμαζα τὸν βοῦν*, VIII, 1 *ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα*, IX, 1 *τράπεζα ὑπὲρ τὰς ἐν Σικελίᾳ.*

Ut ‚Iuppiter tragoedus' et ‚Piscator' a parodiis exordiuntur, sic etiam ‚Necyomantia'. Morem vero illum, quo versus ex Homero, Euripide aliisque poëtis detorsit, a Menippo sumpsit; est tamen quod differat inter Lucianum et cynicum. Hic enim, cum poëta esset, non modo alienos, sed etiam suos ipsius versus satiris intexuit et, ut M. Valerius Probus[1]) testatur ‚omnigeno

1) in Verg. ecl. VIam p. 14 ed. Keil. Halis 1848.

carmine expolivit'; ille vero, quippe cui ingenium poëticum deesset, intra parodias substitit.

Parodiae inveniuntur in Necyomantia § 1, 9, 10, 21, in Icaromenippo § 10, 13, 14, 22, 24, 25, 28, 30, 33, in dialogis mortuorum XVIII, 2; XXV, 1.

Praeterea non in ,Necyomantia' sola sed in omnibus Luciani scriptis singulis saepissime verbis ad veteres poëtas alluditur. Quod quidem ita esse, quicunque in Homeri carminibus versatus est, statim perspicit.